



Stech-  
flechte!



7.  
8  
9.  
10  
11  
12.  
13.  
14  
15  
16  
17.  
18.  
19  
20

1 Weismanni f. Christ. Erbsh. f. iusta rationes  
collectionis Canonice Scripturarum  
Sacrarum, contra modernas quasdam  
objectiones vindicatio, Tubingae  
1737.

2 Specimen Magni Nichilii in rebus  
vestri religionis, Tubingae 1739.

3 Diff. de veritate divina, fuerit  
sicut expulsa, tamen usque recurrit  
Tubingae 1740.

4 Varia Sacra, Tubingae 1738.

5 Renovata exceptioes contra  
divinam institutionem Baptismi et  
3. Ceneri Tubingae 1736.

Responsiones Speciales ad Georgii  
Bulli objectiones de justificatione  
fidei, Tubingae 1733.

16.

*Q. D. B. V.*  
**VESTIGIA**  
**PLVRALITATIS ET TRINITATIS**  
**IN ESSENTIA DIVINA, IN**  
**LIBRO SAPIENTIAE**  
**OCCVRRENTIA,**

EXHIBET,  
SIMVLQVE  
RECITATIONES SOLEMNES  
AC DISVATIONEM PVBLICAM  
PRO OBTINENDO THEOLOGIAE  
GRADV  
HABENDAM

VIRO SVMME REVERENDO <sup>A</sup> ATQVE EXCELLENTISSIMO,

**IOHANNE FRIDERICO**  
**WVCHERER,**

THEOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO AC PHIL.  
SOPHIAE NATVRALIS ORDINARIO MERITISSIMO  
RITE INDICIT

---

**IESAIAS FRIDERIC. WEISSENBORN,**  
THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORD. SACRORVM ANTISTES ET SEREN. DV-  
CIS SAXO-ISENACENSIS A CONSILII ECCLESIAE ET CONSI-  
STORII COLLEGII THEOLOGICI, HOC TEM-  
PORE DECANVS.

---

IENTAE LITTERIS HORNIANIS.

VEDS  
VESTIGIA

PLURALITATIS ET TRINITATIS  
IN ESSENTIA DIVINA, IN  
LIBRO SAPIENTIAE  
OCCURRENTIA

EXHIBET  
SIMPLICE

RECITATIONES SOLEMNES  
AC DISPUTATIONEM PUBLICAM  
PRO OBTINENDO THEOLOGICAE  
GRADU  
HABENDAM

PER SUAM REVERENDO ATQUE EXCERISSIMO

IOHANNI FRIDERICO  
WUCHERER

THEOLOGICAE PROFESSORE PUBLICO EXTRAORDINARIO AC RHEO-  
SOPHIAE NATURALIS ORDINARII MERITISSIMO  
RITE INDICIT

IESAIAS FRIDERICUS WEISSENBORN,  
THEOLOGICAE PROFESSOR ORD. SACRORUM ANTIQVVS ET SEREN. DA-  
CIS SACR. SENACENSIS A CONSILIO THEOLOGICAE ET CONSIL-  
STORUM CONGREGATIONIS THEOLOGICAE HOC TEM-  
PORE DECANVS

IN AERIE LITTERIS HORNIANIS





Q. D. B. V.



Libros apocryphos veteris testamenti non esse eo adhibendos sine, vt questio doctrinae fidei aut morum probetur, ex iisdem, adeo clarum est, vt moueri de hoc vix possit vllum dubium: ob antiquitatem tamen, eamque, ipsam Christi natiuitatem antecedentem magno omnino in pretio sunt habendi. Ex his enim colligimus statum doctrinae, praecceptorum pariter atque dogmatum, quae vsu fuerunt recepta, quum auctores libros hos conscriberent. Ita LIBER SAPIENTIAE multa nobis seruat ruderata antiquae Iudaeorum sapientiae, vt testimonia huius, Sociniani, tamquam certissima, opponere queamus. Apud Iudaeos certe tanta erat liber hic auctoritatis, vt Salomonem putarent auctorem eius fuisse, aut librum saltem esse, Salomone dignissimum. Impudentia ergo haud abs re inculamus Socinianos adfirmantes, quae ex libro sapientiae quam luculentissime possunt refutari. Tri-

nitatem, dicunt, a IVSTINO MARTYRE, vtpote philosopho olim Platonico, esse excogitatam & ecclesiæ obtrusam, quæ & ante Iustini ætatem post Christum natum, & ante Christum, hoc dogma plane ignorauerit. Plane aliud suadet lectio attenta libri sapientiæ. In eo enim doctrinæ huius, prout est in se, egregia vestigia, quin immo documenta habentur. Quilibet mecum faciet, expendens & quæ spectent ad trinitatem, & quæ in libro sapientiæ legantur. Trinitatem adfirmaturus docebit 1) esse in deo pluralitatem aliquam, pluralitatemque illam consistere in trinitate personarum. 2) vnâ tantum esse essentiam diuinam æqualis & eiusdem plane maiestatis. Ea autem contineri in sapientiæ libro, haud difficulter potest doceri: id tantummodo necesse est, vt fateamur, clariorem lucem nobis, tempore noui testamenti viuentibus, obtigisse. Docere itaque debemus: 1) Et plures, & quidem tres esse in essentia diuina, ex mente auctoris libri sapientiæ. Ita enim de verbo Dei substantiali, auctor libri Cap. VII. v. 25, 26. Ἄρτις γὰρ ἕς τῆς τοῦ Θεοῦ δυνάμεως, καὶ ἀπάρρητος τῆς τοῦ παντοκράτορος ἐξουσίας. Διὰ τούτο ἕδεν μιαιμαμμένον εἰς αὐτὴν παρεμπίπτει ἁπαύλασμα γὰρ ἕς φωτὸς αἰδίου, καὶ ἕσπερον ἀνελίδωτον τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰπὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ. Nam radius est potentie dei & sincerus fluxus a gloria omnipotentis: propterea nihil inquinatum in eam incidit: nam splendor est a luce æterna & speculum efficacie Dei, expers macule ac imago bonitatis eius. Manifesto respexit ille ad filii ex Deo Patre, generationem ab æterno. Sapientia humana certe vix dicitur recte expers maculæ; neque splendor erit a luce æterna proficiscens; multo minus de hu-

ma-

mana sapientia adfirmaveris, quæ habentur versu 27.  
 quum ea sit, quæ πάντα δύναται, omnia potest. Quæ  
 omnia potest, infinita est; quæ infinita est, debet esse sa-  
 pientia ipsius Dei substantialis, atque hæc est, ex omnium  
 confessione, filius Dei: De quo eo minus dubitaveris,  
 quod Paullus Apostolus Ebr. I. 3. ostendit, quod Filius  
 Dei sit: ἀπάντασμα τῆς δόξης, καὶ χαρακτήρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ.  
 Habetur locus adhuc magis perspicuus Cap. VIII. i. 4. 17.

Θεὸς πατέρων καὶ κύριε τῶ ἐλέους σου, ὁ ποιήσας τὰ πάντα ἐν λόγῳ σου.  
 Δός μοι τὴν τῶν σῶν θρόνων κἀρεθρον σοφίας, καὶ μὴ με ἀπεδοκιμά-  
 σης ἐν παύσῳ σου. Βουλὴν δὲ σου τίς ἔγνω, εἰ μὴ σὺ ἕδωκας σοφίας,  
 καὶ ἐπέμψας τὸ ἅγιόν σου πνεῦμα ἀπὸ ὑψίστων. O Deus maiorum &  
 Domine misericordie, qui fecisti omnia verbo tuo. Da mihi sapi-  
 entiam adsidentem thronis tuis, ac ne reprobes me e numero filiorum  
 tuorum. Et consilium tuum quis nouerit, nisi tu dederis sapien-  
 tiam, & miseris sanctum spiritum tuum e locis altissimis. Ad-  
 loquitur hoc loco DEVM PATREM tamquam creatorem  
 cæli & terræ: O Deus, inquit, maiorum, & Domine mise-  
 ricordie, qui fecisti omnia; adiicit deinde VERBUM DEI il-  
 ludque SVBSTANTIALE, & omnia facta esse dicit, ἐν λό-  
 γῳ τοῦ πατρὸς, per verbum patris, per sapientiam, quæ admi-  
 nistret mundum, sanctitate & iustitia; quæ sit coram thro-  
 no Dei patris. Pergit v. 9. Tecum est Sapientia, que no-  
 uit opera tua, & que adsuit, quum faceres mundum, & que  
 scit, quid placeat in oculis tuis, & quid rectum ex mandatis tuis  
 v. 10. Emitte illam e sanctis celis a throno, inquam, gloria tua,  
 mitte illam, ut mecum presens laboret & cognoscam, quid gratum  
 sit apud te; v. 11. illa enim nouit omnia atque intelligit, estque du-  
 ctura me in actibus meis moderare & conseruatura me in gloria  
 sua.

sua. Quæ, quæso, posset esse sapientia, nisi substantialis, cui hæc prædicata recte assignarentur; illa sola nouit opera diuina omnia; illa sola adfuit Deo, quum mundum faceret; illa est coram throno gloriæ diuinæ; illa ducit hominem in omnibus actionibus suis. Adde Prou. I. 20. seq. Cap. VIII. 1 seq. ibi harmoniam deprehendes inter hanc sapientiam, de qua & huius libri auctor, & Salomô loquitur in præterbiis; quis autem Salomônem, Filium Dei indicare, dubitare ausit, nisi præconceptis opinionibus occupatus. Si conferamus v. 17. Cap. IX. libri nostri, adiungi etiam SPIRITVM S. obseruabimus. Nemo, ait, nouit consilium tuum, nisi tu dederis & spirituum tuum miseris ex altissimis. Ita quidem de his loquitur de sapientia, inquam & spiritu Dei, vt distincte contra distinguantur Deo Patri adeoque hoc loco & pluralitas comprehendatur & trinitas; vt Pf. XXXIII. 6. ברבר

: וְיְהוָה שָׁמַיִם נִעֲשָׂה וּבְרוּחַ פִּי כָל צַבָּאָה Verbo Iehouæ caeli facti sunt, & spiritu oris eius totus exercitus eorum. Idem auctor libri sapientiæ, Cap. XVIII. v. 15. 16. 17. de omnipotente sermone disserit, qui de caelo descendit & effecerit ea, quæ reuera fuere stupenda. Nec est, vt de angelo creato sermonem hoc loco institui opineris, quia omnipotentiam & huic similia prædicata angelo eius naturæ numquam deprehendes adscripta, vt taceam circumstantias alias, quæ manifesto docent, de angelo quodam infinito, eodemque potentia non limitata esse sermonem. Quod ad spiritum sanctum attinet, habentur de eodem adhuc alia Cap. I. 5. 6. 7. ἄγιον γὰρ πνεῦμα μακαρίαις φέρεται δόλον, καὶ ἀπανασήσεται ἀπὸ λογισμῶν ἀσώτων, καὶ ἐλεγχθήσεται ἐπιθετικῆς ἀδικίας. οὐκ ἀνθρώπων γὰρ πνεῦμα



πνεῦμα σοφία, καὶ ἐν ἀδράσει βλάσφημοι ἀπὸ χειλῶν αὐτῶ,  
 ὅτι τῶν νεφρῶν αὐτῶ μάρτυς ὁ Θεὸς, καὶ τῆς καρδίας αὐτῶ, ἐπίσ-  
 κωτος ἀλυθῆς καὶ τῆς γλώσσης ἀκυσῆς. Ὅτι πνεῦμα κυρίου πεπλη-  
 ρωκε τὴν οἰκουμενὴν, καὶ τὸ συνέχον τὰ πάντα γνώσιν ἔχει φωνῆς.

*Sanctus enim spiritus disciplina fugit dolum & absistit a ratio-  
 cinationibus hominum vacuorum intelligentia; & indicatur, cum  
 aduenit iniquitas; nam humanus est spiritus sapientie; sed non  
 liberat blasphemum a maledictio labiorum ipsius, quia renum ipsius  
 testis est Deus & cordis ipsius obseruator verus & auditor lingua:  
 cum spiritus domini impleat orbem terrarum, & idem continens  
 omnia, cognitionem habeat vocis. Adnectuntur & multa alia  
 præcepta moralia de obseruandis officiis, homini debitis,  
 quod in se quæstio & diiudicatio eorum omnium, quæ  
 præter legem perpetrentur. Idem Spiritus sanctus est,  
 quem a Deo patre ex altissimis mitti supra ex Cap. IX.  
 intelleximus. Docere debemus 2do, unitatem essentie di-  
 uine: hæc tam est certa, vt & ratio sibi relicta de eo dog-  
 mate, firmisimum scientiæ gradum adipiscatur. Deum  
 patrem autem, filium & spiritum sanctum vnum deum  
 constituere, auctor libri sapientiæ eo ipso docet, quod  
 quæ modo cumque de Deo attulit in medium, ita attulit,  
 vt de vna atque simplici essentia loquatur. Ex his igitur  
 factis clare quilibet potest percipere, trinitatis conceptum  
 adeo non demum Iustini Martyris ætate esse excogitatum,  
 vt & antiqui Iudæi ante Christum natum viuentes, & pa-  
 trem & filium & spiritum sanctum cognouerint vnum &  
 simplicissimum Deum. Sed præsens scriptio non per-  
 mittit rerum alioqui momentosissimarum explanationem  
 vberiore.*

Ad

Ad eum nunc vector, in cuius gratiam hæc est suscepta, ad virum summe reuerendum atque excellentissimum,

IOHANNEM FRIDERICVM  
WVCHERERVM,

Professorem Theologiæ extraordinarium, & Philosoph. natur. ordin. meritissimum. Is natus Meiningæ die IV. Augusti an. 1682. Patre IOHANNE FRIDERICO WVCHERER, regiminis Meiningensis Secretario, deinceps ditionis Ienensis quæstore: matre MARIA SOPHIA, Syndici Vinariensis HENRICI KRAVSOLDI filia. Simul atque ad ætatem peruenit eam, qua vsus rationis incipere consuevit, præceptoribus domesticis fuit traditus, vt in principiis religionis & pietatis aliisque, quæ prima sunt, instrueretur. Anno 1691. cum parens eius sedem Ienæ figeret & munus quæstoris ditionis Ienensis fusciperet, adscitis iterum in-formatoribus domesticis, principia & religionis & humaniorum litterarum magis magisque eidem fuere instillata, in primisque quum & scholam publicam frequentaret, LAVTERBACHII, amplissimi Philosophorum ordinis adiuncti, & rectoris scholæ meritissimi, solida & accurata docendi ratione progressus fecit indies maiores. <sup>Missus</sup> deinde *Nordlingam*, præeunte B. Geiero, scholæ *Nordlingensis* eo tempore Rectore optime merito, <sup>continuauit</sup> diligentiam in imbibendis litteris humanioribus Ex-  
acte

acto triennio anno MDCXCIX. Ienam repetiit, vt scientiis, quæ solent in academia tradi, sese dederet. Quare prælectionibus B. D. TREVNERI, philosophi & theologi insignis, *dialecticis, analyticis, physicis, ethicis, theologia naturalis; metaphysicis* B. D. HEBENSTREITII; meis etiam recitationibus logicis & metaphysicis, exercitiis item disputatoriis sedulus interfuit, vt se mihi & probitate & industria, in primis probaret. Quumque esset in eo, vt certo studiorum generi sese consecraret, singulari plane auiditate ad cultum rerum medicarum trahebatur: dissuadentibus autem agnatis & affinibus, in dignitate constitutis, eisdemque iura commendantibus, meo tandem suasu, rerum sacrarum cultum elegit. Qua de caussa B. IOANNIS ANDREAE DANZII, philologi & theologi olim summi, lectionibus *hebraicis, chaldaicis, Syriacis, accentuatoriis, rabbinicis & exegeticis* operam dedit sollicitam, cumque orientalibus occidentales coniunxit, earumque in primis gallicæ & anglicæ amœnitatibus, vtilitatibusque captum fuisse, non neglectis linguæ Italicæ elementis, non diffitetur. B. HAMBERGERVM, mathematicum & physicæ professorum meritissimum, cursum, quem vocant, mathematicum, solidissime explicantem, per annum integrum auscultauit, fructuumque, quos in colenda physica hinc percepit, lætissimus recordatur. Progressus deinceps est ad studia theologica, adiitque B. FRIDEMANNVM BECHMANNVM, theologum, pietate, soliditate & senio venerabilem, *adnotationes in B. HVTTERI compendium* a se editas explanantem; sed et memoriæ & oculorum vires admodum debilitatæ coëgerunt virum beatum, vt abrumperet collegium ante, quam finem imponere posset. Secutus est igitur B. D. HEBENSTREITIVM satis perspicue B.

B

Baic-

Baieri compendium, & dein B. Bechmanni institutiones explicantem. Meas etiam homileticas & theoreticas & practicas, ut et collegium examinatorium in B. Baieri compendium sibi curæ cordique esse voluit; prælectionibus etiam, viri plurimum reverendi Eliæ Frickii, tum studiosi veterani, iam Pastoris Ulmenis vigilantissimi, priuatissimis in B. Dietrici catechesin, per annum integrum, tribus quotidie horis continuatis, multum se debere gratus deprædicare solet. Accidit deinde, præter spem & expectationem candidati nostri, viribus suis parum tribuentis, ut anno MDCCIII. supra commemoratus B. D. DANZIVS, gradum magisterii, tamquam medium tentandi ingenii vires inferuendique aliis, suaderet ambiendum. Quod etiam consilium est secutus, & postquam satis se præparatum esse crederet, anno MDCCVI. de defectibus theologiae Platonica priorem; anno MDCCVII. posteriorem non sine laude pro præfidio defendit. Variisque deinde editis speciminibus, iussu serenissimorum principum ab amplissimo collegio philosophico anno MDCCXII. adiuncti munere auctus; quumque suam ingenii sollertiam variis dissertationibus, & meditationibus diuersimode declarare perrexisset, anno MDCCXVII. vnanimi serenissimorum dominorum nutritorum consensu dignus habitus fuit, cui munus physicam dogmaticam docendi demandaretur, quod ut pro viribus ornaret, anno MDCCXX. edidit *delineationem physicae diuinae*; anno MDCCXXVI. institutiones *philosophiae naturalis selecticae*; quodque vsum insignem arbitraretur esse physicae in explicanda scriptura sacra, *historiam creationis publicauit* 1728. quumque demum *physica experimentalis* iungeretur dogmaticae, ea semper egit, quae videretur muneris ratio exigere. Res tamen sacras semper magni habuit, eisque

eisque interpretandis suam sedulam nauavit operam. Effectum igitur fuit, vt ex mandato serenissimorum dominorum nutritorum munus professoris Theologi extraordinarium nuperrime acciperet. Adiunxerunt & clementissimi academix nostræ principes nutritii aliud clementiæ summæ testimonium, & vt Wuchererus etiam noster, in memoriam Augustanæ Confessionis, ante ducentos annos traditæ, summis in theologia honoribus condecoraretur, voluerunt: lubens itaque se submisit clementissimæ voluntati, lectionemque, quam vocant, cursoriam *crastina luce*, hora II. post meridiem *de via ad salutem semper eadem* habebit, futuroque MERCVRII die pro gradu *de subordinatione filii in diuinis non admittenda*, me præside, publice disputabit. Quibus actibus vt magnificus dominus Prorector, Illustrissimi Domini comites, excellentissimi academix proceres, omnisque florentissimorum studiosorum corona interesse velint, nomine collegii theologici rogo atque obtestor. P. P. d. IX. Iul. MDCCXXX.

(L.S.)



ED-Beg. 2002

01 A 6729

Retra

Mi. 46









16

*Q. D. B. V.*  
**VESTIGIA  
PLVRALITATIS ET TRINITATIS  
IN ESSENTIA DIVINA, IN  
LIBRO SAPIENTIAE  
OCCVRRENTIA,**

EXHIBET,  
SIMVLQVE  
**RECITATIONES SOLEMNES  
AC DISPVATIONEM PVBLICAM  
PRO OBTINENDO THEOLOGIAE  
GRADV  
HABENDAM**

*VIRO SVMME REVERENDO<sup>A</sup> ATQVE EXCELLENTISSIMO,*  
**IOHANNE FRIDERICO  
WVCHERER,**

**THEOLOGIAE PROFESSORE PVBLICO EXTRAORDINARIO AC PHILO-  
SOPHIAE NATVRALIS ORDINARIO MERITISSIMO  
RITE INDICIT**

**IESAIAS FRIDERIC. WEISSENBORN,**  
**THEOL. D. ET PROF. PVBL. ORD. SACRORVM ANTISTES ET SEREN. DV-  
CIS SAXO-ISENACENSIS A CONSILII ECCLESIAE ET CONSI-  
STORII COLLEGII THEOLOGICI, HOC TEM-  
PORE DECANVS.**

**GENAE LITTERIS HORNIANIS.**